

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2933

Auteur(s) : Robert Bertran, écuyer, Bricquebec (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Bricquebec, Sainte-Croix-aux-Bois (chapelle)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1271, février

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Bertran, écuyer, sire de Bricquebec, confirme la dotation de la chapelle de Bricquebec.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bréard Charles, *Cartulaires de Saint-Ymer en Auge et Bricquebec, publiés avec notices*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard, 1908, Bricquebec, n° 38, p. 228-229.

Texte établi d'après a

Erga capellatum capelle manerii de Bricquebec.

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego Robertus Bertran, armiger, dominus de Briquebec, confirmavi et concessi, caritatis intuitu et pro salute anime mee et animarum antecessorum meorum, capelle mee de Briquebec, et capellano ibidem deservienti, in puram et perpetuam elemosinam, omnia et singula que pater meus antecessores mei eisdem dederunt : videlicet decem quarteria frumenti percipienda in molendino meo de Briquebec, in mense septembbris, et decem libras turonensium ad festum sancti Michaelis percipiendas in prepositura mea de Briquebec ; et apud Senouvillam sex boissellos frumenti, duas gallinas et quatuor denarios pro duobus panibus percipiendos in feodo quod de me tenebant Gaufridus le Follon et Rogerius Blondel, et apud Nigellihumum quatuordecim boissellos frumenti, octo gallinas, octo panes valorem octo denarios, sexaginta ova, tres solidos, sex denarios percipiendos in feodo Gamberii, in feodo Dunet, at super Thomam Goscelin. Item dono et concedo dicte capelle et presbitero in eadem deservienti, duodecim quarteria ordei percipienda apud Surtainville, in feodo heredum Rogerii Rispond, in feodo Savari, in feodo Jacobi Rispond, in feodo Ricardi Rispond et in feodo Willermi de Bella Quercu, percipienda et habenda omnia super scripta singulis annis dicto capellano et successoribus suis in dicta capella deservientibus. Item dono capellano in dicta capella deservienti totum masagium quod fuit Britonis situm juxta monasterium de Briquebec, sicut se extendit in longum et latum et pasturam liberam et quietam ad animalia sua in forestis meis de Briquebec costumariis et quadraginta porcos quitos de pasnagio in forestis ante dictis et nemus ad ardendum in eisdem forestis ad usum manerii predicti et moltam qui tam in molendinis meis de Briquebec de bladis que molere faciet ad usum suum in manerio antedicto. Item dono eidem capellano in capella mea deservienti nemus ad edificandum masagium antedictum capendum in forestis meis costumariis per liberationem viridarii mei. Et hec omnia singula, prout sunt superius annotata, teneo ego et heredes mei predice capelle et capellano in eadem deservienti et successoribus suis in puram et perpetuam elemosinam contra omnes garantizare penitusque liberare. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini milesimo ducentesimo septuagesimo, mense februarii.